


### VIII.

Adhuc autem si bina triangula, duo latera duobus lateribus æqualia habuerint, alterum alteri, & angulum angulo æqualem, siue quem latera æqualia comprehendunt, siue qui ad basim fuerit, basim quoque basi, ac reliquos angulos reliquis habebunt æquales. Vt in præcedenti figura, sit latus a b æquale lateri c f, & a d ipsi c e. Ac primum angulus a, æqualibus cōprehensus lateribus angulo c. Dico basim quoque b d, basi e f, & angulum b ipsi f, & reliquum b d a reliquo c e f esse æqualia. Habebimus enim bina triangula a g n & c l m, quorum anguli g & l sunt recti, atque g a n æqualem ipsi m c l, & reliqui sunt æqualium, b a d & e c f. AEquiangula igitur sunt inuicem & æquilatera ipsa triangula. Quapropter ex æqualibus a d & c e relinquuntur etiam d n & m e æqualia. Sed iam patuit angulum qui sub d n h æqualem esse ei qui sub e m k, & qui circa h k sunt recti, erunt quoque bina triangula d h n & e m k æqualium inuicem angulorum & laterum, è quibus etiam b d relinquetur æquale ipsi e f, & g h ipsi k l, quibus sunt b & f anguli æquales, ac reliqui a d b & e c æquales. Quod si pro lateribus a d & e c assumantur bases b d & e f æquales, æqualibus angulis obiecti, residens ceteris eodem modo demonstrabuntur, quoniam per angulos g a n & m c l æquales exteriores, & g c rectos, atque a g ipsi c l, habebimus itidem bina triangula a g n & m c l, quæ prius æqualium inuicem angulorum & laterum. Illa quoque particularia d n h & m e k similiter propter h & k angulos rectos, & d n h, k m e æquales, atque d h & e k latera æqualia, quæ reliqua sunt quadrantium, è quibus eadem sequuntur, quæ diximus.



### IX.

Isoscelium in Sphæra triangulorum, qui ad basim anguli, sunt sibi inuicem æquales. Esto triangulum a b c, cuius duo latera a b & a c sint æqualia. Ab a vertice descendat maximus orbis, qui secet basim ad angulos rectos, hoc est, per polos, sitque a d. Cum igitur binorum triangulorum a b d & a d c latus b a est æquale lateri a c,

C & B

